

norum suorum molestissime ferens, prout de jure poterat & debebat; Decreuit, statuit & mandavit praefato Capitulo & Capellanis praefatae Ecclesiae S. Marci, quod usque ad tres dies proximos a die facti precepti, debeant deposuisse in manibus Procuratorum Ecclesiae S. Marci libras quinquaginta parvorum, de quibus ipse D. Dux disponet & faciet sicut sibi videbitur esse justum. Quod si forte fuerint negligentes, nec deposuerint ad terminum pecuniam antedictam; ab ipsa die in antea Procuratores praefati debeant quoslibet proventus, obventiones, oblationes, & quaslibet alias utilitates, quae perciperentur in Ecclesia S. Marci ex Missis quae per Mansionarios celebrantur intromitti & recolligi facere usque ad summam librarum quinquaginta parvorum, quas dicti Procuratores tenere debeant, & de ipsis facere & disponere sicut idem D. Dux duxerit ordinandum.

954) Nos Andreas Dandulo &c. vobis NN. VV. Marco Laureano & Benedicto Delphino Vicesgerenti N. V. Johannis Delphino procuratoris nostri Ecclesiae S. Marci dicendo mandamus, quod illas libras quinquaginta, quae per Capellanos nostros & Capitulum Ecclesiae supradictae olim fuerant apud vos de nostro mandato depositae pro condemnatione contra presbyterum Zanninum Boldu dictae Ecclesiae Capellani, quas idem Capellanus de nostro mandato depositavit apud vos, restituerentur dicto presbytero Zanno sine conscientia nostra, eis restituvi faciatis de speciali gratia, cum ipsis specialiter suppliciter postulantibus de nostra benignitate superinde duximus faciendum, hujus nostrae cedulae tenorem in libris vestri Officii, ubi scripta erat